



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore traditæ Explicatio

Le Gaudier, Antoine

Dilingæ, 1627

Cap. II. Quibus potiſimum necessarium sit mentalis orationis exercitium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50280)

CAPVT II.

*Quibus potissimum necessarium sit
mentalis orationis exerci-
tium?*

QUANTUM omnibus utilis
admodum mentalis oratio;
iis tamen qui ad perfectionis statum
vocati sunt est omnino necessaria:
est enim hæc oratio potissimum per-
fectionis instrumentum. Nam cum
perfectio in eo consistat, vt perfecta
Dei cognitione & amore Deo ipso
tanquam verissimo cibo suo anima
nutriatur, & in Dei similitudinem
crescat, has nobis delicias & solidum
nutrimentum sola mentalis oratio
ministrare potest. Quare verè dixit
Augustinus. *Serm. 112. de temp. Sicut
ex carnalibus escis alitur caro, ita ex
ex diuinis eloquiis interior homo nu-
tritur*

tritur & pascitur. Accedit quod Deus non tantum sit cibus quo anima perficitur, sed omnis illius perfectionis causa efficiens principalis, ut mox dicemus, quæ non alio modo quam oratione, ad inducendam in nostram animam perfectionem applicari potest. Quocirca merito D. Bonaventura cuius ad perfectionis statum vocato necessariam adeo orationem esse duxit, ut nullam sine illa Religionem posse consistere, grauissimis sanè verbis confirmauerit, *lib. de sex alis cap. 3.* Cauenda, inquit, est perturbatio studij deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impingatur: Arida est omnis Religio, qua non oleo isto saginatur: instabilis est bonorum operum structura, qua deuota orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cemento: in omni Religione, in qua deuotionis feruor tepuerit, etiam altarum

*virtutum machina incipit deficere,
& propinquare ruina; lampades fa-
tuarum virginum sine oleo extingun-
tur.* Ita Bonaventura. Idipsum vide-
batur asserere Sanctus Franciscus
cùm diceret frequentissimè, *sine gra-
tia orationis nullam fructum sperari
posse;* ubi nomine gratiæ peculiare,
quoddam studium deuotionis, vt
appellat Bonaventura, intelligit. Et
verò constat experientia quotquot
à perfectionis statu excidunt, eos o-
mnes ob neglectum orationis studii,
primùm quidem offusa quadam
menti caligine practicis multis iudi-
ciis erroneis imbui, deinde virtutum
omnium, humilitatis præsertim at-
que obedientiæ studium deserere, in
multas & graues imperfectiones de-
uolui, ac tandem penitus deficere:
vt iis ex eodem capite à statu perfe-
ctionis ruina contingat, ex quo au-
thore Anastasio, *Orat. in Idol.* ex
ipso innocentia statum Adamo conti-
gerit

8 DE ORATIONE

gerit. Quare verissimè Chrysostomus
l. i. de orando Deo. Cùm videro quem-
piam non amantem orandi studium,
nec huius rei feruida vehementique
cura teneri, continuo mihi palam est
eum nihil egregia dotis in animo possi-
dere: rursus ubi quem conspexero in-
satiabiliter adherentem cultui divi-
no, idq; in suis damnis numerantem,
si non continuè orauerit, comælo ta-
lem omnis virtutis firmum esse media-
torem, ac Dei templum, cùm simplici-
ter impossibile sit absque precatationis
presidio cum virtute degere.

Quod si omnibus in vniuersum
 qui perfectionis statum complexi
 sunt necessaria sit oratio, certè iis o-
 mnium maximè, qui sola sua perfe-
 ctione non contenti, omni etiam co-
 natu in salutem & perfectionem
 proximorum incumbunt: hoc enim
 vnico instrumento a Deo tanquam
 viuo fonte, vis omnis & efficacia eo-
 rum mediorum, quæ adiuuandos
 proxi-

proxi-

proximos adhibentur, hauriri debet. Quæ causa etiam est cur eam Diuus Chrysoſtomus fontem ipſum appellet, ſcilicet quia ita nobis proximè & efficaciter Deum omnium bonorum fontem admouet, imo etiam in nos inuehit, vt oratio ab ipſo Deo non videatur ſeiungenda, fiatque per eam, *vt flumina de ventre noſtro fluant aque viue, Ioan. 7.* qua functiones erga proximum omnes veluti canales impleti longè lateque ad proximorum vtilitatem diffunduntur.

Vnde etiam cùm Societas I E S V ad procurandam hominum ſalutem à Deo inſtituta ſit, Deo etiam authore hoc orationis inſtrumento ad id opus vſque adeo neceſſario, inſtructa eſt. Conſtat enim eius Parenti ac fundatori S. Ignatio, in tanta ſæculi illius ruditate homini alioqui illiterato, ſingulare orationis donum per Exercitia ſpiritualia collatum eſſe, quæ deinde Spiritu ſancto afflatus in
in-

ingentem totius Ecclesiæ utilitatem, & peculiarē suorum vsum, quibus id armorum genus cōmendatissimum esse voluit, scriptis consignauit. Vnde nihil mirum est si tam frequenter in suis Constitutionibus studium orationis, & cum Deo familiaritatem omnibus commendarit, præsertim verò Professis, quorū proprium est absolutis iam studiis salutis proximi vacare; hos enim totum omnino tempus, quod à necessariis cum proximo occupationibus liberum ac vacuum habuerint, orationi tribuere fanciuit. Hoc autem iis præcipuè necessarium est, qui à natura ita comparati sunt, vt ad actiones externas, quibus facile animus dissipari solet, potissimum propendeant. Quæ de re in eo opere quod est de perfectionis natura & statibus fusiùs pro instituto tractamus.